

imminencia ex ipsis pericula magno labore et longo tempore, magnis item et inexplicabilibus expensis nostris et huius Regni nostri depulsemus, procul dubio Regnum hoc vsque ad extremum concussum fuisset et defatigatum: nihil conducibilis, nihil salutaris in mentem venit, nec apcius ad conseruandum hoc ipsum Regnum in sua libertate et tranquillitate, ad tollendam denique occasionem futurorum bellorum et discriminum, quicquam subiit, quam vt Illustrissimus Princeps Dominus Lodouicus Dux, charissimus filius noster, quem a Deo ipso maximo non solum in nostram, sed in huius Regni nostri et vniuerse Christianitatis consolacionem datum et donatum esse arbitramur, nobis viuus et feliciter regnantibus coronaretur. Quippe non modo firma spes est, verum etiam ratio ipsam affirmat, Coronato hoc tempore eodem domino Duce, et externorum bellorum et intestinarum dissensionum atque discordiarum omnium fomitem et materiam Coronacionem ipsam fore sublaturam. Quamobrem cum hoc salutiferum nostrum propositum et deliberacionem in presenti Dieta et Conuencione generali pro vigesima die festi beati Georgii Martyris proxime transacti per nos celebrata vniuersis Dominis Prelatis, Baronibus, ceterisque Regnicolis, quos huius rei gracia ad hunc diem conuocari feceramus, exposuissemus, eosdemque fuissemus hortati et rogassemus, vt ob premissas et plures alias ipsis conducibiles causas et rationes annuerent et volentibus animis accederent, prefatum Illustrissimum filium nostrum dominum Lodouicum Ducem cum sacra Corona huius Regni coronare, Idem domini Prelati et Barones, vniuersique Regnicole pro eorum erga nos integerrima semper fide, fidelitate et singulari deuocione et obediencia veluti boni et de beneficiis nostris grati subditi animi ipsorum eiusmodi nostre petitioni et desiderio accomodarunt et benevole accesserunt; petentes tamen, et in effectu dicte Coronacionis a nobis humiliter optantes: vt pro futura ipsorum securitate, tranquillitate et libertatis obseruacione, quando idem dominus Lodouicus Dux filius noster adhuc puer esset ac infans, tam in nostra, quam eiusdem filii nostri persona specialibus litteris nostris promitteremus, vt tam nos, quam ipse filius noster eosdem dominos Prelatos et Barones, ac Proceres et Nobiles vniuersumque Regnum in Decretis ac concessis ipsis per nos libertatibus conseruare et easdem libertates et Decreta ipsa cum eisdem etiam dominis Prelatis et Baronibus et cum vniuersis Regnicolis, cuiuscunque condicionis fuerint, conseruare etiam faceremus. Preterea ex quo varii essent rumores ex parte Serenissimi Principis Domini Maximiliani Romanorum Regis et de conatibus eiusdem ad hoc Regnum, essentque illius voluntas et actiones ipsis suspecte; vt eosdem dominos Prelatos et Barones et vniuersos Regnicolas similiter litteris nostris assecuremus: vt neque viuentibus nobis, neque morientibus predictum filium nostrum ad manus eiusdem Domini Romanorum Regis, aut sub gubernacionem aut tutelam eiusdem vel alterius cuiuscunque forensis Principis non modo dabimus vel assignabimus, sed eundem hic in Regno et apud manus eorundem dominorum Prelatorum, Baronum ac reliquorum Regnicolarum mitemus ad gubernandum. Idcirca nos, qui per huiusmodi filii nostri Coronacionem nonnisi bonum, commodum ac perpetuam tranquillitatem dicti Regni nostri Hungarie ac ceterorum Regnorum nostrorum querimus, nec quicquam priuati commodi aut vtilitatis in hoc optamus, vt tam pium ac sanctum opus finem optatum consequatur; promittimus in verbo nostro Regio pro nobis et pro eodem Illustrissimo filio nostro, vniuersisque heredibus et successoribus nostris, vt prescripta Decreta et omnia in illis contenta, sed et